

SVMMI POLYHISTORIS
GODEFRIDI GVILIELMI
LEIBNITII
PROTOGAEA ^{H94.}

SIVE DE PRIMA FACIE TELLVRIS ET ANTIQVIS-
SIMAE HISTORIAE VESTIGIIS IN IPSIS NA-
TVRAE MONVMENTIS DISSERTATIO
EX SCHEDIS MANVSCRIPTIS

VIRI ILLVSTRIS

IN LUCEM EDITA

A

CHRISTIANO LVDOVICO SCHEIDIO.



GOETTINGAE

SVMPTIBVS IOH. GVIL. SCHMIDII, BIBLIOPOLAE VNIVERSIT.

A. S. H. cl^o l^o ccxxxviii.



impetu longissime a patria abrepta credamus. Et vero Phocarum & Narwallorum greges stabulari simul constat in cauitatibus litoralium scopulorum, qualia esse potuerunt haec antra, quo tempore huc Oceanus perueniebat. Cum vero terrestrium quoque animantium spolia deprehendantur, malim Conringio assentiente vastae inundationis colluuiem credere, quando aquae per angusta foramina & specuum exitus aditum in subterranea reperientes, quae aduehebant, deseruere in vestibulis. Verisimillimum enim est, orbem aquismersum naturaliter detegi non potuisse, nisi magna parte humoris subterraneis locis recepta; qualis erat in Hierapoli Syriae hiatus immensae profunditatis apud Lucianum de Dea Syria, in quem statim anni die vicinae gentes certatim aquam quasi impleturae frustra fundebant. In quo diluuii aquas absorptas narrabant Sacerdotes, & populi credebant.

§. XXXV.

Cum cornua *Monocerotis*, quibus passim superbi-
ebant olim conditoria rerum peregrinarum, & nunc
quoque plebei oculi in stuporem dantur, a piscibus
Septentrionalis Oceani esse demonstrarit Bartolinus,
credere fas est, vnicornu fossile, quod nostrae quoque
regiones praebent, eiusdem originis fuisse. Dissimulare tamen non oportet, Monocerotem quadrupedem
equi magnitudine reperiri apud Abyssinos, si credimus
Hieronymo Lupo & Balthasari Tellezio, Lusitanis.
Terre-

De cornu Monocerotis & ingenti animali Quedlinburgi effosse.


Terrestris quoque animalis speciem magis referebat sceleton, in vicini nobis Quedlinburgi monte *Zeunikenberga* intra rupem anno saeculi sexagesimo tertio, cum calcis materia effoderetur detectum. Testis rei est Otto Gerikius, Magdeburgensis consul, qui nostram aetatem nouis inuentis illustrauit, primusque mortalium Antliam reperit, per quam vasis aër educitur, miraque spectacula ab inuentore in Comitibus Ratisbonensibus Anni 1653. coram Caesare edita sunt; qua deinde a Roberto quoque Boilio, Anglo, Corkiorum in Hibernia Comitum fratre, pro summo Illustriss. Viri ingenio mirifice exulta, nouo experimentorum thesauro locupletati sumus. Gerikius igitur libro de vacuo edito, per occasionem narrat, repertum sceleton vnicornis in posteriore corporis parte, vt bruta solent, reclinatum, capite vero sursum leuato, ante frontem gerens longe extensum cornu quinque fere vlnarum, crassitie cruris humani, sed proportione quadam decrescens. Ignorantia fossorum contritum particulatimque extractum est, postremo cornu cum capite & aliquibus costis, & spina dorsi atque

Tab. XII. ossibus Principi Abbatissae loci allata fuere. Eadem ad me perscripta sunt; additaque est figura, quam subiicere non alienum erit.

§. XXXVI.

Descriptio
antri Scharz-
feldensis &
ossium in eo
reperorum,

Sed res admonet, vt de *specubus nostris* distinctius dicam, nam ambas ipse sum ingressus, nimirum in Ducatus Grubenhagii extremo, qua ex Brunsvicensibus ad
Thurin-



*Figura Sceleti prope Quedlinburgum
effossi.*